
2°
Arch.
129

m

COMMENTATIO

DE

INSCRIPTIONE VASCULI LOCRIS IN ITALIA REPERTI

AD

VIRUM ILLUSTREM

INGENIO ET DOCTRINA EXCELLENTISSIMUM

OLAUM GERHARDUM TYCHSENIUM

LINGUARUM ORIENTALIUM PROFESSOREM P. O.

MUNERE ACADEMICO

PER QUINQUAGINTA IPSOS ANNOS

SUMMA CUM LAUDE FUNCTUM

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

AUCTORITATE

SCRIPSIT

IMMANUEL G. HUSCHKE

H. T. RECTOR.

DIE XIV NOVEMBRIS MDCCCXIII.

ROSTOCHII

EX OFFICINA ADLERIANA.

In iis Vasculis, quae vulgo Etrusca vocantur, haud ignoras, Tychseni, Vir Praestantissime, pauca pro numero litteris notata reperiri, et, si forte reperiantur, parum plerumque lucis adferre inscriptionem picturae. Hinc intelligi potest, quantum saepe difficultatis obiiciatur, si quis interpretis partes suscipere instituat. Nam Mythologia Graecorum in iis praesertim coloniis, quae Siciliam et Italiam, vasculorum illorum refertissimas regiones occuparunt, variis temporibus varias subiit easque maximi momenti vicissitudines. Quare nihil magis gratum accidere potest interpreti, hoc agenti, quam si eiusmodi argumentum, per se difficile ad intelligendum, adiunctam habeat aliquam sui explicationem. Sed huius generis vasa, ut Mazochii dicto utamur, *raritatis* sunt *eximiae.*

In hoc autem numero Vasculum Locrense, quod in fronte huis libelli adumbratum conspicitur, reponit is, cui notitiam eius debemus et explicationem, Michael Arditus, *) statuens, vocem graecam, quae figurae adscripta est, ipsius esse figurae interpretationem. Quo loco primum quaeritur, an vocem illam, antiquioribus litterarum formis expressam, recte legerit vir doctissimus; deinde, si recte legerit, an accurate interpretatus sit. Quod attinet ad primam quaestionis partem, statim post editam illam Disputationem exortus est in Italia adversarius, Matthias Zarillus, qui contenderet, aberrasse editorem a vero in constituenda Inscriptionis lectione et, quod consequens est, falsam esse eius explicationem. Idem postea hoc confirmare studuit in Epistola ad Ludovicum Fonsecam. **) Sed bonum factum, quod Zarillus non nisi

*) *Illustrazione di un antico Vaso trovato nelle ruine di Locri.* Napoli 1791.

**) Proposuit auctor sententiam suam primum in Commentatione, *sopra un Medaglione* ΚΑΥΣΤΑΝΩΝ 1792. Prodiit deinde: *Lettera apologetica del Cittadino Mattia Zarillo al Cittadino Luigi Fonseca à Parigi.* 1801. Haec Zarilli dissensio copiam nobis fecit retractandi ea, quae de hoc argumento scripsimus in Analectis Criticis ad Anthol. Graec. p. 8. sq. et confirmandi, quoad eius fieri posset, lectionem propositam ab Ardito. Qua in re ne quid temere factum videretur, nunc ipsam adiecimus Vasculi adumbrationem.

unam litteram, eamque minime dubiam, in suspicionem vitii adduxit, caeteras, quae multo maiorem dubitationis ansam praebent, intactas reliquit omnes. Ita enim nobis, quibus archetypum videre non contigit, tanto confidentius de hac controversia pronuntiare licebit.

Sed ut rem et caussam cognoscas, ab initio ordiemur et inprimis, quid editor attulerit, videbimus. Nam is totam disputationem ita instituit, ut primum ageret de antiquitate Vasculi, quatenus ea ex attributis figurae et litterarum formis cognosci potest; deinde singulas Inscriptionis litteras singulatim et accurate examinaret, tandem, commemoratis aliis aliorum de vocis sensu opinionibus, suam ipsius interpretationem in medium proferret.

Iam de aetate Vasculi certius aliquid constituere sibi posse videtur auctor e *septem* citharae *chordis*. Hoc inventum Terpandro tribuit Plinius. Nicomachus contra scribit, Terpandrum rem non invenisse, sed citharam ἑπτάχορδον, dudum inventam, quae proprie vocatur *antiqua*, transtulisse in Aegyptum. (Enchirid. I, p. 14. II, p. 29. ed. Meibom.) Postea Simonides octavam adiecit chordam, teste Plinio H. N. VII. 57. quod alii tribuunt Pythagorae, ut Nicomachus I. p. 3. Hinc colligit Editor, vasculum illud aetatem superare Simonidis et Pythagorae. Locris enim, in qua civitate schola Pythagorica floruit, hoc philosophi inventum neque ignorari potuisse, neque negligi.

Quod argumentum quam lubricum sit et fallax, nemo non intelligit. Quidni enim recentioris aevi artifex formam citharae antiquiorem exprimere potuerit, si praesertim ponamus, eum ob oculos habuisse quoddam priscae artis, quod imitaretur, opus? Misso igitur altero aetatis argumento, quod *plectrum* suppeditavit Editori, cuius usum abolevisse dicitur Epigonus, statim progrediamur ad Inscriptionem, certiora aevi vetustioris indicia exhibentem, et de singulis litteris, ex instituto Editoris, peculiariter agamus. Quae difficilis et impedita quaestio, verendum non est, ne Tibi molesta accidat, Praestantissime Tychseni, qui magnam vitae partem in explicandis inscriptionibus longe difficilioribus exegisti et, ut scribit doctissimus Simon Assemannus,*) in legendis

*) in praefatione Operis, quod inscribitur: *Globus coelestis cufico-arabicus Veliterni Musei Borgiani a Simone Assemanno illustratus etc.* Patav. 1791.

In iis Vasculis, quae vulgo Etrusca vocantur, haud ignoras, Tychseni, Vir Praestantissime, pauca pro numero litteris notata repiriri, et, si forte reperiantur, parum plerumque lucis adferre inscriptionem picturae. Hinc intelligi potest, quantum saepe difficultatis obiiciatur, si quis interpretis partes suscipere instituat. Nam Mythologia Graecorum in iis praesertim coloniis, quae Siciliam et Italiam, vasculorum illorum refertissimas regiones occuparunt, variis temporibus varias subiit easque maximi momenti vicissitudines. Quare nihil magis gratum accidere potest interpreti, hoc agenti, quam si eiusmodi argumentum, per se difficile ad intelligendum, adiunctam habeat aliquam sui explicationem. Sed huius generis vasa, ut Mazochii dicto utamur, *raritatis* sunt *eximiae*.

In hoc autem numero Vasculum Locrense, quod in fronte huius libelli adumbratum conspicitur, reponit is, cui notitiam eius debemus et explicationem, Michael Arditus, *) statuens, vocem graecam, quae figurae adscripta est, ipsius esse figurae interpretationem. Quo loco primum quaeritur, an vocem illam, antiquioribus litterarum formis expressam, recte legerit vir doctissimus; deinde, si recte legerit, an accurate interpretatus sit. Quod attinet ad primam quaestionis partem, statim post editam illam Disputationem exortus est in Italia adversarius, Matthias Zarillus, qui contenderet, aberrasse editorem a vero in constituenda Inscriptionis lectione et, quod consequens est, falsam esse eius explicationem. Idem postea hoc confirmare studuit in Epistola ad Ludovicum Fonsecam. **) Sed bonum factum, quod Zarillus non nisi

*) *Illustrazione di un antico Vaso trovato nelle ruine di Locri.* Napoli 1791.

**) Proposuit auctor sententiam suam primum in Commentatione, *sopra un Medaglione* ΚΑΥΣΤΑΝΩΝ. 1792. Prodiit deinde: *Lettera apologetica del Cittadino Mattia Zarillo al Cittadino Luigi Fonseca à Parigi.* 1801. Haec Zarilli dissensio copiam nobis fecit retractandi ea, quae de hoc argumento scripsimus in Analectis Criticis ad Anthol. Graec. p. 8, sq. et confirmandi, quoad eius fieri posset, lectionem propositam ab Ardito. Qua in re ne quid temere factum videretur, nunc ipsam adiecimus Vasculi adumbrationem.

unam litteram, eamque minime dubiam, in suspicionem vitii adduxit, caeteras, quae multo maiorem dubitationis ansam praebent, intactas reliquit omnes. Ita enim nobis, quibus archetypum videre non contigit, tanto confidentius de hac controversia pronuntiare licebit.

Sed ut rem et caussam cognoscas, ab initio ordiemur et inprimis, quid editor attulerit, videbimus. Nam is totam disputationem ita instituit, ut primum ageret de antiquitate Vasculi, quatenus ea ex attributis figurae et litterarum formis cognosci potest; deinde singulas Inscriptionis litteras singulatim et accurate examinaret: tandem, commemoratis aliis aliorum de vocis sensu opinionibus, suam ipsius interpretationem in medium proferret.

Jam de aetate Vasculi certius aliquid constituere sibi posse videtur auctor e *septem* citharae *chordis*. Hoc inventum Terpandro tribuit Plinius. Nicomachus contra scribit, Terpandrum rem non invenisse, sed citharam ἑπτάχορδον, dudum inventam, quae proprie vocatur *antiqua*, transtulisse in Aegyptum. (Enchirid. I, p. 14. II, p. 29. ed. Meibom.) Postea Simonides octavam adiecit chordam, teste Plinio H. N. VII. 57. quod alii tribuunt Pythagorae, ut Nicomachus I. p. 3. Hinc colligit Editor, vasculum illud aetatem superare Simonidis et Pythagorae. Locris enim, in qua civitate schola Pythagorica floruit, hoc philosophi inventum neque ignorari potuisse, neque negligi.

Quod argumentum quam lubricum sit et fallax, nemo non intelligit. Quidni enim recentioris aevi artifex formam citharae antiquiorem exprimere potuerit, si praesertim ponamus, eum ob oculos habuisse quoddam priscae artis, quod imitaretur, opus? Misso igitur altero aetatis argumento, quod *plectrum* suppeditavit Editori, cuius usum abolevisse dicitur Epigonus, statim progrediamur ad Inscriptionem, certiora aevi vetustioris indicia exhibentem, et de singulis litteris, ex instituto Editoris, peculiariter agamus. Quae difficilis et impedita quaestio, verendum non est, ne Tibi molesta accidat, Praestantissime Tychseni, qui magnam vitae partem in explicandis inscriptionibus longe difficilioribus exegisti et, ut scribit doctissimus Simon Assemannus, *) in legendis

*) in praefatione Operis, quod inscribitur: *Globus coelestis cufico-arabicus Veliterni Musei Borgiani a Simone Assemanno illustratus etc.* Patav. 1791.

Cuficis syllabis ac notis vel implicatissimis facile omnibus praestas. Idem quantas litterarum Graecarum varietates temporum vicissitudo attulerit, omnium optime nosti, ut qui ipse Alphabeta graeca antiquissima, adiectis aliis Orientalium elementis, laminae aeneae incisa edidisti, satisque caeteroquin compertum habes, quod vere quondam ad Te scribebat eruditissimus Princeps Turrismutii, idem accidisse in litteris Graecis, quod in Phoeniciis et Latinis: „incredibile, inquit, est, qualis et quanta sit varietas litterarum in inscriptionibus et numis Phoeniciis, qui apud nos effodiuntur. Neque hoc solum in Siculis, sed idem notatur in Phoeniciis aliis monumentis, in Syria, Cypro et Africa detectis. Discrimen hoc temporis cursui et regionum varietati tribuo. Idem in Graecorum et Latinorum litteris usu venisse videmus; vetustiores enim cum recentioribus non conveniunt, testibus luculentissimis pro Graecis, inscriptione Sigea, Tabulis necrologicis Atheniensium, Marmore Deliaco, Columna Musei Naniani etc. et pro Latinis inscriptione Columnae rostratae C. Duillii, marmore Scipionis Barbati F. titulis sepulcralibus Scipionum Romae detectis, aliisque antiquorum temporum tam Graece quam Latine scriptis monumentis." Igitur inscriptionem Vasculi Locrensis ad Tuam ipsius tabulam, tanquam ad obrussam, exigas, Teque huius quaestionis iudicem vel potius arbitrum honorarium constitui patiaris.

Sed quum primae litterae (Κ) nihil prorsus ambigui insit, age incipiamus a secunda (Δ), quae in priscis Graeciae monumentis duplicem habet significationem. Nam satis constat, eodem modo exaratas antiquitus fuisse quartam Alphabeti litteram et primam, quae hodieque scribitur Α. Sic v. c. in patera Mazochiana pariter atque in Vasculo Locrensi Δ legitur pro Α, *utraque hasta deorsum non producta*, quod illi permagnae antiquitatis indicium videtur, Comment. in Tab. Heracleens. p. 551. *) Haec litterarum illarum inter se permutatio dici vix potest, quoties deceperit librarios et editores, quantasque graecis scriptoribus intulerit corruptelas. Cuius generis in promptu est exemplum insigne. Nempe apud Athen. VI. p. 230. A. ubi agitur de vasculis, quae proprie sic appel-

*) Vide, quos laudat Editor, Montfauconium Palaeogr. Gr. II. c. 4. p. 133. Corsinum Fast. Attic. T. I. p. 157. et Barthelemium in Memoir. des Inscript. et Bell. Lett. T. XXIII. p. 395.

lantur, hoc est, aureis, argenteis et aeneis, unde nomen invenerunt Vascularii; hic igitur Sophronis locus vulgo ita editur: Σώφρων δ᾽ ἐν Γυναικείοις μίμοις φησί· Τῶν δὲ χαλκωμάτων καὶ τῶν ἀργυρωμάτων ἐμάρμαιρε Δοκία. *Aeneis et argenteis vasis splendebant repositoria.* Ita hunc locum latine convertit novissimus editor. perperam haud dubie duplici de causa, primum quia vox δοκία non potest significare *repositoria*; deinde quia verbum μαρμαίρειν semper construitur cum tertio casu, nunquam cum secundo. Homer. Il. N. 800.

ὣς Τρῶες πρὸ μὲν ἄλλοι ἀρηρότες, αὐτὰρ ἐπ᾽ ἄλλοι,
χαλκῷ μαρμαίροντες ἅμ᾽ ἡγεμόνεσσιν ἕποντο.

Bacchylides apud Athen. II. p. 40. F.

χρυσῷ δ᾽ ἐλέφαντί τε μαρμαίρουσιν οἶκοι.

Alcaeus apud eundem XIV. p. 627. A.

μαρμαίρει δὲ μέγας δόμος χαλκῷ.

Lucretius II, 27.

Nec domus argento fulget auroque renidet.

Hactenus praeferenda est vetus Dalecampii interpretatio, qui locum Sophronis ita reddit: *aeneorum et argenteorum vasorum conditoria splendebant.* Sed quid tandem sibi vult insolens illa et peregrina vox δοκία? quove iure eam vertunt interpretes *conditoria* vel *repositoria?* Schweighaeuserus, vir doctissimus, rem ita expedire conatur: „In Sophronis verbis ex *Mimis muliebribus* vox δοκία nihil aliud (quod equidem video) valere potest, nisi τὰ δοκεῖα. quod dictum fuerit pro δοχεῖα, id est, *receptacula, repositoria, abaci.* Sic πανδοκεῖον pro πανδοχεῖον." Hunc errorem peperit prima vocis Δοκία littera, quam si converteris in A, et verbo ἐμάρμαιρε substitueris ἐγάργαιρε, habebis locum emendatissimum: Τῶν δὲ χαλκωμάτων καὶ τῶν ἀργυρωμάτων ἐγάργαιρε Ἀοικία, *aeneis vero et argenteis vasis repleta erat domus.* Sed redeo ad institutum.

Veteres Graecorum litteras easdem paene fuisse, quae sunt Latinorum, Plinius H. N. VII. 58. indicio esse ait Delphicam tabulam antiqui aeris, quae tum extabat in Palatio, dono Principum Minervae dicata in Bibliotheca. Quam observationem ut aliae confirmant litterae, ita inprimis ea, quae in Inscriptione vasculi Locrensis ordine tertia est. Haec in antiquioribus Graeciae et Latii monumentis, quae aetatem tulerunt, ut in Patera Mazochiana et Senatusconsulto Bacchanalium eodem prorsus modo exarata conspicitur. Postea Graeci ei substitue-

runt figuram paene contrariam Λ. Latini priscam retinuerunt L.

Quarta littera, quae infra loco paenultimo iterum comparet, procul dubio *Epsilon* est. Forma eius non multum discrepat ab E Etrusco. Vide Lanzium T. I. p. 209. Fatendum quidem est, hanc litteram in aliis Inscriptionibus, velut Sigea, tres lineas transversas habere aequaliter productas, ita ut figura paene referat tridentem, τριόδοντα πλάγιον, quocum eam comparant Agathon et Theodectes Phaselites apud Athen. X. p. 454. D. quum contra hoc loco ultima linea caeteris longe sit brevior. Sed in tanta scripturae varietate tantula res vix minimi momenti instar habere potest. *)

Quintae litterae figura a vulgari scribendi more omnium maxime discedit. Ex aliis tamen inscriptionibus patet, hanc formam olim habuisse litteram Δ. Ait quidem Montfauconius Palaeogr. G. III. p. 222. Delta quadrangulum nusquam reperiri nisi in Codice Biblioth. Bonon. qui scriptus esse dicitur saeculo VII. Sed occurrit illud iam, monente Ardito, in voce ΚΛΕΟΔΟΞΑ, quae inscripta est vasculo Florentino apud Viscontium Mus. Pio-Clement. T. II. p. 106. t. 13. **) Caeterum huius litterae non eadem est ubique significatio, quum eodem modo alibi designetur O μικρὸν, quod in magna versatur varietate. Nunc enim ad trianguli formam accedit, nunc quadratum est; saepe ita conformatur, ut quae in Inscriptione Locrensi sextum locum obtinet figura D. ***) Sed de his duabus

---

*) Editor ipse de hac littera ita scribit p. 16. a parlare con verità, quelle, che si veggono incise ne' tanti monumenti Greci e Latini finora prodotti mostrano le aste transversali pari fra se in lunghezza: al contrario della nostra, la quale ha l' asta inferiore corta per modo, che più tosto raffigura una F, che altra cosa, e in conseguenza può nuovo accrescimento proccurare alla Greca Paleografia. — Non dissimulandum est, in pictura nostra áliquid discriminis deprehendi inter ductus litterarum quartae et octavae, quae eaedem esse dicuntur. Octava proprius accedit ad ε, quam tertia. quod tamen me animadvertere non memini in pictura Italica, ut suspicer, artificem nostrum paullulum aberrasse ab exemplo, quod servatur in Bibliotheca Gottingensi.

**) Adde Hamiltoni *Engravings* T. IV. t. 12. ubi in nomine ΧΑΡΜΙΔΕΣ eadem littera eodem modo exarata est.

***) Mazochius ad Tab. Heracl. p. 139. *O, inquit, ita est, ut ad* D *accedat.* Ita etiam in Senatusconsulto Bacchanalium scribitur v. c. NDSTER pro *noster*.

litteris, quinta et sexta, quarum illam pro Δ, hanc pro O probabiliter accipit interpres, infra iterum dicendi copia dabitur.

Quod attinet ad septimam litteram, nemo eorum, quibus Vasculum videre contigit, teste Ardito, dubitavit, quin sit N. *La settima*, inquit, *è sicuramente una* Ni *della forma la più consueta.* Tamen Zarillus, ut mox videbimus, in alia omnia discessit, eandem ei potestatem tribuens, quam primae.

Ultima littera — nam de octava diximus ad quartam — sine controversia est *Sigma.* *) Nempe serius in consuetudinem Graecorum venit illa huius litterae figura, quae ab Euripide in Theseo apud Athen. X. p. 454. C. vocatur βόστρυχός τις ὡς ἑλιγμένος, *cincinno similis contorto:* ab Agathone ibidem comparatur cum arcu Scythico,

Σκυθικῷ τε τόξῳ τὸ τρίτον ἦν προσεμφερές.

Quibus verbis utrum Σ an C significetur, disputant viri docti. Casaubonus ita: „non assentior viris magni nominis et eruditionis, qui describi putarunt figuram τοῦ *sigma*, C Latino similem: de qua Martialis, (XIV. ep. 87.)

Adspice lunata scriptum testudine sigma.

Ego non video, qui recte appelletur talis figura *cincinnus contortus:* nam aliud longe est καμπὴ sive hemicyclus, aliud ἕλιξ. Et quod in eandem sententiam dicit mox Agatho *de similitudine litterae huius cum arcu Scythico*, non illi figurae quadrat, verum isti Σ, quod pluribus alibi ostendimus." Casaubono accedit Spanhemius de Praest. et usu Numism. Diss. II. p. 54. contendens, Sigma graecum formatum ut C latinum diu post Agathonis aetatem usurpari coeptum esse, quum raro ante Domitiani tempora in Numis compareat. Aliter de hac re statuisse videtur Schaeferus Melet. Crit. p. 95. ubi agit de loco Xenophontis Anab. V, 2. 11. (13.) qui locus in libris scriptis, quos comparavit Zeunius, ita legitur: Ἐπεὶ δὲ πάντα παρεσκεύαστο, καὶ οἱ λοχαγοὶ καὶ ὑπολοχαγοὶ, καὶ οἱ ἀξιοῦντες τούτων μὴ χείρους εἶναι, πάντες παρατεταγμένοι ἦσαν, καὶ ἀλλήλους συνεώρων· μονοειδὴς γὰρ ἦν ἡ παράταξις διὰ τὸ χωρίον — quam lectionem (μονοειδὴς) in ipso contextu posuit Zeunius, vertens *uniformis.* Alii editores nescio unde arripuerunt εὐειδὴς, quam interpolationem ortam esse putat

**) Quod ita formatum occurrit in aliis Inscriptionibus, ut Amyclaea et Nointeliana, item in Patera Mazochiana p. 551 — 154. Non dubium videtur, quin haec sit antiquissima huius litterae forma. Vide Eckhelii Doctr. Num. Vet. Tom. I. p. 180.

Schaeferus e librarii cuiusdam nota tachygraphica, Cειδής exarantis pro σιγμοειδή. Nam ita Xenophontem scripsisse sibi persuadet vir doctissimus, intelligens aciem sic ordinatam, ut litterae C imaginem referret. Acies haud dubie ad hunc modum instructa fuit. Sed demonstrandum erat, *Sigma* iam Xenophontis aetate formam habuisse semicirculatam. Quod etsi a veri similitudine non abhorret, tamen, si librarius nota ista usus esset, hinc non efficeretur, Xenophontem scripsisse σιγμοειδής. Nam, quemadmodum pro Sole vel Apolline librarii pingere solebant notam illam tachygraphicam, quam pulcherrime nuper explanavit Bastius apud Schaeferum Epimetr. III. ad Aristophanis Plutum p. XLI. ita etiam fieri potuit, ut pro *Luna* ponerent litteram C, praesertim quum iam Aeschrion Jambographus Lunam appellaverit *pulchrum coeli Sigma.* Locum Aeschrionis servavit Tzetzes Commentario inedito versibus politicis scripto in Hermogenem, unde particulam descripsit Rhunkenius Not. in Longinum p. 244. ed. Oxon. de metaphoris ineptis:

Πόῤῥω δὲ λαμβάνονται, ὥσπερ ποιεῖ Χοιρίλλος,
καλῶν τοὺς λίθους, γῆς ὀστᾶ, τούς ποταμοὺς. γῆς φλέβας·
ὡς τὴν Σελήνην, οὐρανοῦ πάλιν Αἰσχρίων σίγμα.
Οὕτω γὰρ λέξεσιν αὐταῖς αὐτὸς Αἰσχρίων λέγει·
Μήνη τὸ καλὸν οὐρανοῦ νέον Σίγμα. *)

Quae sive vera sive falsa sit coniectura, illud in dubium

*) Versibus 3 et 4 in Codice, qui servatur in Bibliotheca Leidensi, vitiose legitur σίγατα. unde Ruhnkenius formavit σίγμα, addens: „Sic enim Aeschrion *novam lunam* vocabat a figura *sigmatis* Graeci C. Ex quo loco refellitur, quod Isaacus Vossius et Ez. Spanhemius statuebant, hanc *sigmatis* figuram serius in Graecorum consuetudinem venisse. Nam Aeschrion, sive Samius sit sive Mitylenaeus, certe vetustus scriptor est. Vide Jonsium de Script. Hist. Phil. II. 2. p. 124." Non igitur dubitavit Ruhnkenius *sigmatis* scribere pro *sigma*, sicut Hemsterhusius ad Lucianum T. I. p. 90. non offendit in lectione vulgata fragmenti Platonici apud Eustathium ad Il. K. p. 813. ἡμᾶς καλῶς — Ἔσωσας ἐκ τῶν σιγμάτων Εὐριπίδου. De quo loco vide Porsonum ad Eurip. Med. 476. et quae disputat Schaeferus Melet. Crit. p. 95. et ad Gregor. Corinth. p. 712. ubi tamen monet, Leonem Imperatorem Tactic. col. 892. §. 184. Lam. scripsisse τοῦ σίγματος. „Ita locutus Petrus Chrysologus cum alibi, tum Serm. XCIII. *Pharisaeus veste clarus, primus in* sigmate." Vossius de Art. Gramm. I. c. 30. — Graeci recentiores ita vocabant orchestram. Photius: Ὀρχήστρα· τὸ νῦν τοῦ θεάτρου λεγόμενον σίγμα.

nemo vocaverit, Xenophontem scripsisse: *μηνοειδὴς γὰρ ἦν ἡ παράταξις διὰ τὸ χωρίον, lunata enim erat acies propter loci situm.* Propertius IV. 6, 25.

Tandem acies geminos Nereus lunarat *in arcus.*

Sed hanc emendationem, ut nunc video, dudum praecepit Buttmannus, eamque de admonitione viri acutissimi recte in contextum intulit Schneiderus.

Jam ad inscriptionem Vasculi Locrensis redeamus. Vides, Eruditissime Tychseni, nihil de ulla littera protulisse editorem Italum, quod a prisco scribendi more discederet, neque temere compositam essse vocem, quae hinc sponte sua nascitur, ΚΑΛΕΔΟΝΕΣ. Quod quid sit quum neque ipse statim intelligeret auctor, et alii se intelligere negarent, ut fieri solet, ad coniecturas confugerunt, et vocem illam emendare conati sunt. Circumspicienti igitur Ardito, quae tandem inscriptionis litterae aliam significationem admitterent, obtulerunt se quinta et sexta, quarum illa accipi potest, ut supra diximus, pro O, *) haec pro Δ. **) Quid vero inde lucramur? Nempe lectionem, priore illa longe deteriorem, neque ullo modo probabilem: ΚΑΛΕ ΟΔΝΕΣ, vel, quod ille malebat, ΟΡΝΕΣ, id est, *o pulcher Orneu!* Ὀρνεὺς, quo nomine appellatus fuit unus ex Erechtei filiis, Aeolice vel Dorice scribi potuit Ὀρνης, quemadmooum v. c. Ἀχίλλης pro Ἀχιλλεύς. Sed eiusmodi nomina Vocativos non in *es* terminant, sed in *e* longam, etiam apud Latinos. Priscian. p. 723. Putsch. Recte igitur haec emendatio reiicitur ab auctore ipso, cuius reliqua disputatio in eo unice versatur, ut demonstret, retinendam esse priorem illam lectionem, ΚΑΛΕΔΟΝΕΣ, neque audiendum virum doctum, qui septimam litteram N. nulli, ut vidimus, ambiguitati obnoxiam, convertere mallet in Κ. Hoc illud est, ut postea apparuit, Zarilli commentum, de quo, ut de Arditi interpretatione, audiamus Villoisonium, in Millini Horreo Encyclop. Tom. II. a. VII. p. 473. ita disputantem:

„*M. Michel Ardito, ancien membre de l'Académie d'Herculanum, a donné une Dissertation sur cette Inscription*

*) Vide Prolegomena ad *Siciliae et obiac. insular. Veter. Inscript. novam Collect.* p. XLII, Vossius de Art. Gramm. c. 30. „Sunt et aliae Graecorum litterae, quas alia longe figura scriptas invenias in vett. lapp. et libb. Sane in iis, Θ, Ο, Φ, pro figura rotunda habent quadratam."

**) Montfaucon. II, 1. p. 118. Villoisonius Anecd. Gr. II. p. 168. 2.

ΚΑΛΕΔΟΚΕΣ, *qu'on trouve sur une vase étrusque* *) *qui appartient au roi de Naples, et représente une joueuse de cithare. Ces lettres* ΚΑΛΕΔΟΚΕΣ, *qu'on voit* a traverso di una citaristria che vi era depinta, *M. Ardito les lit* ΚΑΛΗ ΗΔΟΝΗ, *et les explique:* Le plaisir honnête personnifié (l'onesto piacere personificato.) *M. Zarillo, confrère de M. Ardito, réfuta son interpretation, en 1792, à la tête de la réimpression de sa Dissertation italienne sur une médaille* ΚΑΥΣΤΑΝΩΝ, *publiée pour la première fois en 1755. Il lit* *καλὴ δοκῇς*, *qu'il traduit, comme si c'étoit un souhait,* pulchra videaris. *Je croirois plutôt que* *καλε δοκει* *est mis pour* *καλὴ δοκεῖς*, *c'est-à-dire,* pulchra videris, *et non pas* pulchra videaris. *Il est inutile de prouver une verité connue de tout le monde, que chez les anciens Grecs, l'* Ε *tenoit la place non-seulement de la voyelle longue* Η, *mais encore de la diphtongue* ΕΙ, *comme l'*Ο *se prenoit pour l'*Ω, *et pour* ΟΥ. *Il me suffit d'indiquer la savante remarque de Taylor,* p. 6 et 9 *de son* Commentarius ad marmor Sandwicense, Cantabrigiae, 1743 in 4to. *Marius Victorinus, ancien grammairien latin, dit expressément,* L. I, capite de orthographia, p. 2468 *des* Grammaticae latinae autores antiqui, Hanoviae, 1605, in-4to.: Significaveram prius quam Graecis inter vocales repertae sunt Η et Ω, vicem earum tam apud illos quam apud nos, explesse Ε et Ο, Ο etiam scribi solitam pro syllaba ΟΥ, Ε autem pro Ε et iota."

Hactenus Villoisonius. Sed haec futilitatis plena sunt levitatisque summae. Nam Zarilli lectio prorsus abhorret a consuetudine graeci sermonis. Villoisonii emendatio est illa quidem graeca, sed tamen inepta. Nemo enim gratum se facturum speraverit puellae, si dicat, sibi eam pulchram videri, vel si optet, ut pulchra videatur. His igitur commentis nullo

*) Negat e contrario Ardit. hanc vocem legi in Vasculo Locrensi, sed per coniecturam illatam eam esse ait p. 61. Non ignoro, che ad un uomo del Comun nostro pareva di leggervi francamente ΚΑΛΕΔΟΚΕΣ: tanto egli è vero quel che Seneca usava spesso di dire, che in un prato medesimo questi trovi una lepre, e quegli una lacertola. Ma siccome io molto volontieri profitto de' lumi altrui, e, nulla sapendo, cerco almen sempre d' imparare da tutti; così qui debbo confessar mal mio grado, che la corta veduta dell' occhio mio non sappia ancor ravvisarvi quella parola, nè il mio tardo ingegno giunga a capirne ancora il significato.

modo convellitur alterius lectionis auctoritas, quam tuetur Arditus, sed mira quadam ratione interpretatur *Honestae Voluptatis* imaginem. Quod quibus argumentis efficere conatus sit, videamus. „Graeci, inquit, ut erant homines εὐφαντασίωτοι, omnes animi affectus oculis subiicere et specie humana induere solebant, in his etiam Voluptatem. Quae quum duplicis sit generis, partim *honesta* partim *inhonesta*, sequitur, duplici etiam modo imaginem eius fuisse effictam; id quod re vera factum esse satis demonstrat fabula illa Prodici de Hercule, in bivio, quum primum pubesceret, constituto, cui occurrebant, ut est apud Xenophontem, duae feminae, Ἀρετὴ et Κακία, interprete Cicerone de Offic. I. 32. *Virtus* et *Voluptas*. Hanc Κακίαν quum Maximus etiam Tyrius et Philo appellent Ἡδονὴν, quidni oppositam ei *honestam Voluptatem* alii appellare potuerint Καληδονήν? Haec, inquit, illa vox est, quae legitur in Vasculo Locrensi. „Nam ΚΑΛΕΔΟΝΕΣ, priscis litteris exaratum, idem valet quod καληδονῆς, omisso nomine εἰκών, et figura, quae hic exhibetur, est *Honestae Voluptatis* imago." Huic disputationi cum alia multa obstant, tum inprimis mira illa vocis compositio et peculiaris adiectivi καλὴ significatio, quod, ubi ad feminam refertur, ut hoc loco ad *Voluptatem*, non nisi de pulchritudine corporisque dotibus dici solet; quae Hermanni est observatio ad Euripidis Hec. 1159. probata etiam Porsono p. 91. Hinc Plato Phileb. T. IV. p. 232. ed. Bip. τῶν δὲ δὴ δευτερείων στερηθεῖσα Ἡδονὴ παντάπασιν ἂν τινα καὶ ἀτιμίαν σχοίη πρὸς τῶν αὐτῆς ἐραστῶν. οὐδὲ γὰρ ἐκείνοις ἔτ' ἂν ὁμοίως φαίνοιτο καλή. Ergo καλὴ Ἡδονὴ non est honesta Voluptas, sed pulchra, qualem verbis pingere solebat Cleanthes, teste Cicerone de Fin. II. 21. „Jubebat eos, qui audiebant, secum ipsos cogitare pictam in tabula Voluptatem, pulcherrimmo vestitu et ornatu regali, in solio sedentem; praesto esse Virtutes, ut ancillulas, quae nihil aliud agerent, nullum suum officium ducerent, nisi ut Voluptati ministrarent, et eam tantum ad aurem admonerent, (si modo id pictura intelligi posset,) ut caveret, ne quid faceret imprudens, quod offenderet animos hominum, aut quidquam e quo oriretur aliquis dolor: nos quidem Virtutes sic natae sumus, ut tibi serviremus; aliud negotii nihil habemus." Eiusmodi tabulam fingebat Mnasalcas ep. XIV. Anal. Brunck. T. I. p. 193.

Ἁδ' ἐγὼ ἁ τλάμων Ἀρετὰ παρὰ τῇδε κάθημαι
Ἡδονῇ, αἴσχιστας κειραμένα πλοκάμους·

θυμὸν ἄχει μεγάλῳ βεβολημένα, εἴπερ ἅπασιν
ἁ κακόφρων Τέρψις κρεῖσσον ἐμοῦ κέκριται.

Quod epigramma Grotius T. III. p. 366. ita vertit:

Ecce Voluptatem contra moestissima Virtus
Hic sedeo, misere dilacerata comas:
Corde dolens toto, quod tam dementia cuncti
Gaudia mortales antetulere mihi.

Ex quo consequitur, καλὴν Ἡδονὴν non respondere isti, quam Prodicus vocavit, Ἀρετῇ, sed, quod minime sperabat interpres, τῇ Κακίᾳ, quae quidvis potius spondet Herculi adolescenti, quam gratuitam illam voluptatem, quae capitur partim ex operum adspectabilium contemplatione, partim e poeseos artisque Musicae dulcedine, τὸ δι' ἀκοῆς τε καὶ ὄψεως ἡδὺ, ut vocat Socrates apud Platonem in Hippia Maiore, quaerens etiam, an illa et quatenus dici possit ἡδονὴ καλή. *) Sed haec Socratis disputatio nos ultro ducit ad aliam Inscriptionis interpretationem, quam proposuimus in Analectis Criticis ad Anthol. Graec. p. 8. Nam gratuita illa, quam diximus, voluptas, ἡ δι' ἀκοῆς ἡδονὴ, ut ibidem vocat Plato, proprio quodam verbo a Graecis vocatur κηληθμὸς vel κήλησις, ut infra demonstrabimus. Hinc ortae sunt fabulosae illae Κηληδόνες, cui voci tanta intercedit cum inscriptione vasis similitudo, ut, si doceri possit, Dores pronuntiasse καλεῖν pro κηλεῖν, neminem repertum iri arbitremur, qui neget, utramque vocem pro eadem esse habendam. Sed hanc difficultatem, quam nobis ipsi creavimus, tollit probabiliter Hesychius, cuius inter glossas inveniuntur hae formae: Εὐκαλεῖ. ἀτρεμίζει. Εὐκαλεία. ἡσυχία. εὐκαμία. ubi Albert. „scribe Εὐκαλία Dor. pro Εὐκηλία." Εὔκαλον. ὅσιον. Hinc Εὐκηλήτειρα. ἡσυχάστρια. Hesiod. Opp. 464.

Νειὸς ἀλεξιάρη, παίδων εὐκηλήτειρα.

Credibile igitur est, Dores pronuntiasse v. c. ἐκάλησε pro ἐκήλησε, (ut δαλήσατο pro δηλήσατο apud Theocrit. IX. 33.) et Καληδόνες vel

*) Plato Hipp. Mai. p. 166. ed. Heind. Οἵτε γέ που καλοὶ ἄνθρωποι, ὦ Ἱππία, καὶ τὰ ποικίλματα πάντα καὶ τὰ ζωγραφήματα καὶ τὰ πλάσματα τέρπει ἡμᾶς ὁρῶντας, ἃ ἂν καλὰ ᾖ, καὶ οἱ φθόγγοι οἱ καλοὶ καὶ ἡ μουσικὴ ξύμπασα καὶ οἱ λόγοι καὶ αἱ μυθολογίαι ταυτὸν τοῦτο ἐργάζονται. Ὥστ', εἰ ἀποκριναίμεθα τῷ θρασεῖ ἐκείνῳ ἀνθρώπῳ, ὅτι, ὦ γενναῖε, τό καλόν ἐστι τὸ δι' ἀκοῆς τε καὶ δι' ὄψεως ἡδὺ, οὐκ ἂν, οἴει, αὐτὸν τοῦ θράσους ἐπίσχοιμεν;

Καλιδόνες pro Κηληδόνες. Nam de hac dialecto universe valet, quod scribit Heynius ad Pind. Nem. VI. 85. locum habere dorismum in verbis in αω, ut στάσει, στάσομαι, non in εω, ut κρατήσει scribitur, non κρατάσει. Egit de hac re nuper accurate, ut solet, Hermannus Observ. de dialecto Pindari p. XV. Quae quum ita sint, non temere hoc posuisse nobis videmur, inscriptionem Vasculi Locrensis referendam esse ad istas Κηληδόνας. Sed de huius vocabuli vi et origine quaedam hic repetenda sunt ex Analectis: Satis constat, Mythologiam Graecorum tempore poetarum inprimis lyricorum magnas subiisse mutationes, eamque rem vim etiam habuisse ad artes elegantiores. Huiusmodi exemplum plane luculentum suppeditant istae Κηληδόνες. Eae acceptae referendae sunt sublimi ac foecundo ingenio Pindari, qui novum hoc Sirenum genus invenerat, omnibusque canendi copiis instruxerat in Paeane quodam deperdito, cuius fragmentum extat apud Pausaniam Phoc. V. p. 810. τὰ μέν τοι ἄλλα οὐκ ἔπειθεν ὁ λόγος, ἢ Ἡφαίστου τὸν ναὸν τέχνην εἶναι, ἢ τὰ εἰς τὰς ᾠδοὺς χρυσᾶς, ἃ δὴ Πίνδαρος ᾖσεν ἐπ' ἐκείνῳ τῷ ναῷ·

χρύσεαι δ' ἐξ ὑπερῴου ἄειδον Κηληδόνες.

(Male vulgo legitur κηλημόνες aut κληδόνες, ut est apud Galenum T. III. p. 615. Basil.) Addit Pausanias: οὗτος μὲν δὴ ταῦτα ἐς μίμησιν, ἐμοὶ δοκεῖν, τῶν παρ' Ὁμήρῳ Σειρήνων ἐποίησεν. Qua in re consentientem habet Eustathium, etsi iam dubitantem, utrum nomen κηληδὼν merum sit epitheton Sirenum, an Pindarus designare voluerit ἄλλα τινὰ ᾠδικὰ δαιμόνια. Od. M. p. 1709. ἰστέον δὲ ὅτι Πίνδαρος κηληδόνας λέγει, ποιούσας τοὺς ἀκροωμένους ἐπιλαθέσθαι τῶν τροφῶν ὑφ' ἡδονῆς καὶ οὕτως ἀφαυαίνεσθαι. οὐ πάνυ δὲ δῆλον εἴτε κηληδόνας ἐκεῖνος ἐπιθετικῶς τὰς Σειρῆνας λέγει διὰ τὸν κατ' αὐτὰς, Ὅμηρος ἂν εἴποι, κηληθμὸν, εἴτε καὶ ἄλλα τινὰ ᾠδικὰ δαιμόνια. Unde apparet, rem prorsus in oblivione iacuisse aetate Eustathii. Sed omnino verum est, quod idem scribit ad Od. Λ 333.

Κηληθμῷ δ' ἔσχοντο κατὰ μέγαρα σκιόεντα,

(p. 1689.) ἐκ δὲ τοῦ κηλεῖν καὶ αἱ παρὰ Πινδάρῳ κηληδόνες παράγονται, ὧν Ἀθήναιος *) μέμνηται ὡς θελγουσῶν οὐδὲν ἔλαττον ἤπερ αἱ τοῦ μύθου

---

*) Athen. VII. p. 290. E. Πρὸς τῶν θεῶν τί διαφέρειν οὗτος ὑμῖν δοκεῖ τῶν παρὰ Πινδάρῳ Κηληδόνων, αἳ κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον ταῖς Σειρῆσι τοὺς ἀκροωμένους ἐποίουν ἐπιλανθανομένους τῶν τροφῶν διὰ τὴν ἡδονὴν ἀφαυαίνεσθαι. Ad quem locum scribit Casaubonus: „Non facile est divinare, quid Pindarus nomine Κηληδόνων intellexerit eo loco, quem

Σειρῆνες. Eiusdem formae verba sunt ἀλγηδὼν, χαιρηδὼν et, quod inprimis huc pertinet, *Siredon* pro Sirene apud Ausonium Eidyll. XI. 20.

Tres in Trinacria Siredones: *omnia trina.*

Quo loco alii legunt *Sirenes*, alii *Sirenides*, ut Vossius, intelligens scopulos, quos incoluisse Sirenes feruntur. Sed recte Scaliger ex uno veteri Codice restituit *Siredones*, quamvis perperam scribens, Σειρηδόνες dici quasi Σειρανδόνες. Auson. Lect. I. c. 16. p. 48. Hanc lectionem prorsus confirmat Scholiastes Venetus B. ad Homer. Il. Ω 253. παροξυτόνως δὲ τὸ κατηφέιες, ὡς τὸ Κηληδόνες, Σειρηδόνες.

Ex his veterum scriptorum locis patet, Celedonas Pindari proximam habere cognationem cum Sirenibus Homeri. Unde colligi potest, *) exhibitas eas fuisse in templo Apollinis, vel certe descriptas a Pindaro ad similitudinem eius figurae, quam conspicimus depictam in Vasculo Locrensi. Sed has rationes paullulum conturbat Philostratus Vit. Apollon. VI. c. 11. p. 247. qui de hac re ita scribit: ὁ δὲ, (Ἀπόλλων) οἶμαι, μικρὰ ταῦτα ἡγούμενος καὶ τῆς ἑαυτοῦ σοφίας ἥττω, καὶ ἄλλου ἐδεήθη νεὼ, καὶ μεγάλων ἤδη καὶ ἑκατομπέδων. ἑνὸς δὲ αὐτῶν καὶ χρυσᾶς ἴϋγγας ἀνάψαι λέγεται, Σειρήνων τινα ἐπεχούσας **) πειθώ. Ubi manifesto respicit Philostratus illas Pindari Celedonas. Sed quid est, quod ab aliis discedens Sophista eas dicat Jyngas, quae sunt aviculae, in re magica sedem habentes? Nostra quidem sententia propterea hoc fecit, quod Graeci, quidquid pelliciendi vel demulcendi vim habet, ut Celedones illae Pindaricae, translate vocant ἴϋγγα. Qua de re vide interpretes ad Xenophontis Memor. III. c. 11. 17. Enimvero Olearius in alia omnia abit, statuens, Κηληδόνας, suspensas in templo Del-

---

tangit hic Athenaeus. Interpretes quidem pronunciare non verentur, quas vocavit Homerus *Sirenas*, dictas fuisse Pindaro Κηληδόνας. Athenaeus tamen hoc non dicit, nisi placeat *eadem* esse, quae dicuntur *similia efficere*; quod ineptum nimis et ἀσυλλόγιστον. Quare Athenaei verba non aliter accepit Eustathius."

*) Vide Vossii Epist. Mythol. T. II. p. 39.

**) Ita etiam scribit Sextus Empiricus VI. 17. p. 360. ὡσαύτως δὲ καὶ τὰ παρὰ τοῖς τραγικοῖς μέλη τὰ (καὶ) στασιμα, φυσικόν τινα ἐπέχοντα λόγον — De quo loco agit Hermannus ad Aristot. Art. Poet. p. 141, addens: „nemo unquam dixit, λόγον τινὰ ἐπέχειν, pro ἔχειν."

phico, re vera fuisse ἴυγγας, *cantantium gestu* effictas. Quo quid dici potest ineptius? Nam Jynges *cantantes* ne fando quidem auditae sunt. Illud satis constat, ab huius aviculae voce quoddam fistulae genus nomen Ἴυγγος invenisse, quam *stridentem stipulam* vocat Virgilius Ecl. III. 25.

Cantando tu illum? aut umquam tibi fistula cera
Juncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas
Stridenti *miserum* stipula *disperdere carmen.* *)

Pergit Olearius: Erant vero Jynges illae *motacillae aureae*, quales etiam in regia Persarum suspensas Philostratus commemorat supra I. c. 25." Quo loco de conclavi quodam in regia Persarum, ubi ius dicere rex solebat, agens Sophista ita scribit: χρυσαῖ δὲ Ἴυγγες ἀποκρέμανται τοῦ ὀρόφου τέτταρες, τὴν Ἀδράστειαν αὐτῷ παρεγγυῶσαι, καὶ τὸ μὴ ὑπὲρ τοὺς ἀνθρώπους αἴρεσθαι. ταύτας οἱ μάγοι αὐτοί φασιν ἁρμόττεσθαι, φοιτῶντες ἐς τὰ βασίλεια. Καλοῦσι δὲ αὐτὰς θεῶν γλώσσας. Hic Olearium, rem ex Chaldaeorum Oraculis explicantem, non assequimur. Caeterum omnia miscens ita scribit: „Similem ob caussam *Jynges* suspensae quoque in Delphici Apollinis μαντείῳ, ut infra VI. c. 11. narrat Apollonius: nempe ibi inprimis excitandae ἴυγγες, quas qui excitat, ei πειθὼ convenit, h. e. persuadendi vis; quae caussa, ut *Jyngis* sive motacillae Symbolum ei rei adhiberetur, quae *ob linguae*, ut puto, *longitudinem* apud Graecos quoque eloquentiae pellacis est Symbolum." Concedimus Oleario, apud Sophistas recentiores, quales sunt Philostratus, Himerius, alii, aviculam illam eloquentiae symbolum esse, (quamquam non, quod profecto ridiculum est, ob linguae longitudinem) sed hoc etiam pertinere ad veteres scriptores, negamus. Hi de nulla alia re Ἴυγγα translate ponunt, nisi de amoris illecebris animi-

*) Schneiderus ad Xenoph. Memor. III. 11-17. e Lexico Biblioth. Coislinianae p. 492. hunc locum descripsit: Ἴυγξ. σύριγξ μονοκάλαμος, καὶ ὄρνεον. ᾠδὴ καὶ πειθώ. Eadem fere leguntur in Etym. M. sub v. Ἴυγξ. (Idem vir doctissimus ibi tractat locum Plutarchi de S. N. V. p. 109. ed. Wyttenb. αὐτὸν δὲ ὥσπερ ὑπὸ σύριγγος ἐξαίφνης σπασθέντα πνεύματι ἰσχυρῷ σφόδρα καὶ βιαίῳ, τῷ σώματι προσπεσεῖν — ubi corrigit ingeniose: ὑπ' ἴυγγος. Quam emendationem videtur confirmare Aelian. de Nat. Animal. II. 9. Ἔλαφος — προσερείσας τῇ καταδρομῇ τοῦ δόμου τοὺς ἑαυτοῦ μυκτῆρας βιαιότατα εἰσπνεῖ, καὶ ἕλκει ὡς ἴυγγι τῷ πνεύματι, καὶ ἄκοντα προάγει —)

que commotione vehementiori, ut Pindarus Nem. IV. 56. Ἴϋγγι δ' ἕλκομαι ἦτορ νουμηνίᾳ θιγέμεν. Qui locus satis firmat veterem lectionem apud Aesch. Pers. 983.

Ἰΰγγά μοι δῆ-
τ' ἀγαθῶν ἑτάρων ὑπομιμνήσκεις,
ἄλαστα στυγνὰ πρόκακα λέγων.
βοᾷ βοᾷ μελέων ἔνδοθεν ἦτορ.

hoc est, *desiderium* amicorum, (non ἰϋγὰν, *lessum*) excitas. Verum apud Sophistas, quoties sermo est de eloquentiae et poeseos dulcedine, toties fere inculcantur Jynges, ut nesciam, an hoc innuere voluerit Etym. M. p. 479. 56. vel is, quem sequitur, auctor, scribens: Ἴϋγγας ἔχουσιν ἐν τοῖς λόγοις οἱ σοφισταί. Comparabimus inter se duo loca Euripidis et Philostrati, ut appareat, quantum in exprimenda eadem sententia alter ab altero discedat. Euripides Alcest. 358. (Iphig. Aul. 1211.)

Εἰ δ' Ὀρφέως μοι γλῶττα καὶ μέλος παρῆν
ὡς τὴν κόρην Δήμητρος, ἢ κείνης πόσιν
ὕμνοισι κηλήσαντά σ' ἐξ ᾅδου λαβεῖν,
κατῆλθον ἄν.

Quem locum imitando exprimens Philostratus Vit. Apollon. VIII. c. 7. p. 349. de mortuo Philisco, non oblitus est iyngas suas intrudere: καί τοι πολλὰς ἂν ηὐξάμην Ἴϋγγας ὑπὲρ τῆς ἐκείνου ψυχῆς γενέσθαι μοι, καὶ νὴ Δί', εἴ τινες Ὀρφέας εἰσὶν ὑπὲρ τῶν ἀποθανόντων μελῳδίαι, μηδ' ἐκείνας ἀγνοῆσαι. καὶ γὰρ ἂν μοι δοκῶ, καὶ ὑπὸ τὴν γῆν πορευθῆναι δι' αὐτὸν, εἰ ἐφικτὰ ἦν ταῦτα. Hinc intelligitur, quo modo Pindari Celedonas Philostratus vocare potuerit Jyngas. Ab his, dubium non est, quin longe diversae fuerint aureae istae Magorum Jynges, quas idem Philostratus suspensas fuisse scribit in regia Persarum. Illae cum Sirenibus comparantur, vocis suavitate pollentibus, hae Adrasteae interpretes dicuntur vel internuntiae, quibus nulla intercedere potest affinitas cum Musis, a quibus omnino alienos fuisse Persas istos eadem pagina scribit Philostratus: *Orpheo enim delectantur, tiarae forsitan et feminalium reverentia,* non musicae certe artis et carminum, *quibus animos mulcebat.* Sed vellem Philostratus indicasset, quo sensu Magi Jyngas dixerint τὴν Ἀδράστειαν παρεγγυᾶν καὶ τὸ μὴ ὑπὲρ ἀνθρώπους αἴρεσθαι, et cur easdem appellaverint γλώσσας θεῶν. Quod aeque obscurum est, ac simile illud Heracliti dictum apud Plutarchum Isid. et Osir. Vol. VII. p. 460. ed. Reisk. Ἥλιον δὲ μὴ ὑπερβήσεσθαι τοὺς προσή-

κοντας ὅρους· εἰ δὲ μὴ, γλώττας μιν Δίκης ἐπικούρους ἐξευρήσειν· quod vertunt: *et Solem non transgressurum positos sibi limites: alioquin fore, ut in* linguas *incidat iustitiae patrocinantes.* Sed hunc locum nemo fortasse vitii expertem habuit praeter Reiskium, nihil tamen lucis ei adferrentem. Illud nemo non intelligit, Heraclitum scribere non potuisse γλώττας, quum de veterum Jonum consuetudine scribere debuerit γλώσσας, sicut e contrario Philostratus ad normam Atticorum recentiorum, quam alibi sequitur, γλώττας. *) Sed Philostratus, librariorum, ni fallor, culpa, sibi non constat. Heraclito etsi alteram formam restituas, nihil tamen profeceris, quum, quid sit *in linguas incidere iustitiae patrocinantes*, ne intelligi quidem possit, quamvis assumatur haec Reiskii annotatio: „Ait Heraclitus vel ipsum solem habere principium sibi adversarium, quod non sinat eum fines ei praescriptos transgredi. *Justitiae vel recti linguam* eius iniurias statim esse indicaturam, et ad rerum omnium supremum dominum delaturam." Hanc interpretationem, per se satis contortam, prorsus evertit alius Plutarchi locus de Exsil. Vol. VIII. p. 382. ubi idem Heracliti fragmentum hoc modo et ordine descriptum legitur: ὁ δὲ τοὺς περιτρέχοντας ἔξω, καὶ τοῦ βίου τὸ πλεῖστον ἐν πανδοκείοις καὶ πορθμίοις ἀναλίσκοντας εὐδαιμονίζων, ὅμοιός ἐστι τῷ τοὺς πλανήτας οἰομένῳ τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων πράττειν ἄμεινον· καίτοι τῶν πλανήτων ἕκαστος ἐν μιᾷ σφαίρᾳ, καθάπερ ἐν νήσῳ, περιπολῶν, διαφυλάττει τὴν τάξιν· Ἥλιος γὰρ οὐχ ὑπερβήσεται μέτρα, φησὶν ὁ Ἡράκλειτος· εἰ δὲ μὴ, Ἐριννύες μιν Δίκης ἐπίκουροι ἐξευρήσουσιν· hoc est, — At qui foris discurrentes, vitaeque maiorem partem in deversoriis publicis et teloniis consumentes beatos praedicant, similes sunt eorum, qui planetas inerrantibus stellis meliore putant esse conditione. Et tamen unusquisque planetarum suo in orbe, tanquam insula aliqua, ita circumvertitur, ut suum servet ordinem. *Sol enim* — inquit Heraclitus — *fines suos non transgredietur: sin autem, Erinnyes eum, Justitiae adiutrices, invenient.* — Ex hoc loco satis patet, ferendam non esse vocem γλώττας, quam supra notavimus, sed requiri aliquid, quod eiusdem sit significationis, atque Ἐριννύες. Et hoc quidem intellexit Bachetus Meziriacus, qui substituere

---

*) Vide Hemsterhusium ad Lucian. T. I. p. 91. Valckenarium ad Phoen. p. 251. Fischerum Animadv. ad Weller. I. p. 205.

volebat Μοίρας vel Ποινάς, et Buttmannus, *) qui malebat Λύσσαν, Furiae personam sustinentem apud Euripidem Herc. Fur. 824—875. Sed haec longius a vulgata lectione discedunt. Nobis substituenda videtur vox, si litteras per se spectes, satis ab illis diversa, sin pronuntiationem, adeo similis, ut a librario, dictantis verba calamo excipiente, facillime confundi potuerit cum voce γλώττας. Nempe legendum videtur κλῶθας. Huius vocis origo et significatio repetenda est ex Homero Od. H. 197.

πείσεται ἅσσα οἱ Αἶσα Κατακλῶθές τε βαρεῖαι
γεινομένῳ νήσαντο λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ.

Ad quem locum Eustathius **) alteram etiam formam, κλῶθες, commemorat. Hesychius in v. κλῶθες. μοῖραι. Ubi Salmasius frustra corrigit κλωθῶες, quod legitur in Inscript. Triopea II. 13.

Ἅρπυιαι κλωθῶες ἀνηρείψαντο μέλαιναι.

Non obstat emendationi nostrae, quod sic Parcarum munia et Erinnyum inter se permutantur. Nam idem factum videmus apud Hesiodum Theog. 217.

---

*) Vide *Museum antiq. studiorum*, T. I. p. 394. ubi Schleiermacher. hoc fragmentum refert ad illud Heracliti placitum, quo statuit, Solem habere *latitudinem pedis humani*, εὖρος ποδὸς ἀνθρωπείου. Plutarch. Plac. Philos. II. 21. T. IX. p. 527. Quod fieri posse nego. Hanc coniecturam peperisse videtur vox μέτρα, quam ille proprie accipit de *mensura*, ego de *cursu* Solis *emetiendo*, ex usu Homeri, cuius nota sunt μέτρα κελεύθου. Od. Δ. 389.

ὅς κέν τοι εἴπῃσιν ὁδὸν καὶ μέτρα κελεύθου.

Ibid. M. 427.

ἦλθε δ' ἐπὶ Νότος ὦκα, φέρων ἐμῷ ἄλγεα θυμῷ,
ὄφρ' ἔτι τὴν ὀλοὴν ἀναμετρήσαιμι Χάρυβδιν.

Neque video, quomodo alicui in mentem venire possit, verba: εἰ δὲ μὴ, ita interpungere, εἰ δὲ, μὴ Ἐριννύες — quum formula illa post negationem inferatur more usitatissimo. Aristoteles Rhetor. III. c. 7. μήτ' ἐπὶ τῷ εὐτελεῖ ὀνόματι ἐπῇ κόσμος· εἰ δὲ μὴ, κωμῳδία φαίνεται.

**) p. 1576. 39. τὸ δὲ κλῶθες ἢ κατακλῶθες μεταπλασμὸν ἔπαθεν ἐκ τοῦ αἱ κλωθοί. οὗ εὐθεῖα ἡ κλωθώ. — Γράφεται δὲ τὸ κατακλῶθές τε βαρεῖαι καὶ, κατακλώθησι βαρεῖα, αἶσα δηλαδὴ, κατά τινα τῶν ἀντιγράφων. οὐ μέν τοι καλῶς. Singularem formam notavit Suidas in v. κατακλώθη, ἡ εἱμαρμένη.

Καὶ Μοίρας καὶ Κῆρας ἐγείνατο νηλεοποίνους,
Κλωθώ τε Λαχεσίν τε καὶ Ἄτροπον, αἵτε βροτοῖσι
γεινομένοισι διδοῦσιν ἔχειν ἀγαθόν τε κακόν τε·
αἵτ᾽ ἀνδρῶν τε θεῶν τε παραιβασίας ἐφέπουσαι,
οὐδέποτε λήγουσι θεαὶ δεινοῖο χόλοιο,
πρίν γ᾽ ἀπὸ τῷ δώωσι κακὴν ὄπιν ὅστις ἁμάρτῃ.

Cuius loci tres priores versus quidam subditivos habent, propterea quod in eodem carmine v. 994—906. Parcae Jovis et Themidis filiae dicuntur, quae hoc loco sunt Noctis. Sed illa antiquior videtur genealogia, quam etiam alii sequuntur, ut auctor incertus apud Stobaeum Ecl. Physic. T. I. P. I. p. 172. ed. Heer. Ματροκασιγνήτας Erinnyum eas Aeschylus vocat Eum. 959. (944.) Poenas autem ab improbis exigere Parcae alibi etiam dicuntur. Vide inscriptionem Triop. I. 16—19. Hym. Orphic. LXIX. (68.) Vetus poeta apud Stobaeum T. I. c. 6. p. 170.

ὦ Μοῖρα, κεδνὰν καὶ κακὰν κινηγέτι.

Quibus locis confirmari videtur coniectura, Heraclitum scripsisse κλῶθας, iisque Plutarchum altero loco substituisse Ἐριννύας, nisi forte eandem sententiam bis enuntiarit Heraclitus, nunc has inferens, nunc illas, quemadmodum promiscue posuisse videtur ὅρους et μέτρα. Caeterum nescio, an huc pertineant, quae scribunt Scholiastae ad Homer. Il. T. 407—418. ubi Xanthus, Achillis equus *loquens* inducitur, sed quo minus plura proferat, impeditur ab Erinnysi, loquentis vocem cohibentibus:

ὣς ἄρα φωνήσαντος Ἐριννύες ἔσχεθον αὐδήν.

Ubi Scholiastes Venetus A. quaerens, cur Erinnyes vocem equi represserint, caussam adfert hanc: πάντα γὰρ τὰ παράλογα καὶ τεράστια δοκεῖ ὑπὸ Ἐριννύων γίνεσθαι. Ubi fortasse mendum latet in verbo γίνεσθαι. Nam Schol. B. ita scribit: ἐπίσκοποι γάρ εἰσι τῶν παρὰ φύσιν, addens tamen, ἢ τὸν περὶ θανάτου λόγον ἀνεγράψαντο. Quod quid sit, non apparet. Illud convenit dicto Heracliti, Erinnyas cohibituras esse Solem, si fines praescriptos contra Naturae ordinem, παρὰ φύσιν, transgrediatur. Quod genus dicendi poetae magis convenit, quam philosopho. Sed Heracliti aetas incidit in illud tempus, quo philosophia adhuc pendebat a poesi, isque adeo de industria ita scripsisse fertur, ut qui intelligi nollet. Vel sic tamen Plato, Aristoteles, alii, frequenter memorant placita Heraclitea, quem iis sensum tribuerit auctor, minime dubitantes. Neque vero Plutarchus dubitare potuit, quo sensu Δίκην usurparit Heraclitus, quam

rorum naturae etiam Parmenides adhibuit moderatricem, ἥντινα καὶ δαίμονα, καὶ κυβερνήτην καὶ κληδοῦχον ἐπονομάζει, Δίκην τε καὶ Ἀνάγκην, Stobaeus Ecl. Phys. T. I. p. 484. Vide Fullebornium ad Parmen. Fragm. p. 42. Moderatur igitur Δίκη Hecracliti cum administris suis duo illa contraria Naturae principia, discordiam et concordiam, quarum illam posteriores ἀντιπάθειαν, hanc vocant συμπάθειαν, id est, eam naturae consensionem,*) quam Jyngibus suis repraesentare voluisse Magos suspicatur Synesius de Insomn. p. 134. ed. Petav. ἔδει γὰρ, οἶμαι, τοῦ παντὸς τούτου συμπαθοῦς ὄντος καὶ σύμπνου τὰ μέρη προσήκειν ἀλλήλοις, ἅτε ἑνὸς ὅλου μέλη τυγχάνοντα. καὶ μήποτε αἱ μάγων ἴυγγες αὗται; καὶ γὰρ θέλγεται παρ' ἀλλήλων ὥσπερ σημαίνεται, καὶ σοφὸς ὁ εἰδὼς τὴν τῶν μερῶν τοῦ κόσμου συγγένειαν. Hae autem Magorum Jynges tantum abest, ut aviculae cognominis *formam* habuerint, quae Olearii opinio est, ut potius sphaerae fuisse videantur vel cylindri aurei, quos Oracula Chaldaeorum communi στροφάλου Ἑκατικοῦ nomine complectuntur. In quo describendo Nicephorus ad Synesium consentit cum Michaele Psello apud Seldenum de Dis Syriis I. c. 2. Ἑκατικὸς στρόφαλος σφαῖρά ἐστι χρυσῆ, μέσον σάπφειρον περικλείουσα διὰ ταυρείου στρεφομένη ἱμάντος, δι' ὅλης αὐτῆς ἔχουσα χαρακτῆρας. ἣν δὲ στρέφοντες ἐποιοῦντο τὰς ἐπικλήσεις· καὶ τὰ τοιαῦτα καλεῖν εἰώθασιν ἴυγγας, εἴτε σφαιρικὸν, εἴτε τρίγωνον, εἴτε καὶ ὅ, τι σχῆμα. A qua descriptione non multum abludit ea Jyngis figura, quam Veneri dedicat Nico saga in epigr. CXIII. Anal. Brunck. T. III. p. 172.

His planum nobis fecisse videmur, nullam posse cogitari inter Magorum Jyngas et Pindari Celedonas formae similitudinem.**) Reliquum est, ut demonstremus, verbum κηλεῖν proprie pertinere ad rem Musicam, poesin et eloquentiam, neque ullo modo convenire Jyngibus, nisi forte translata illa, qua Sophistae uti solent, loquendi consuetudine. Quam verbi significationem

*) Plato Conviv. Tom. X. p. 195. ed. Bip. ὥσπερ ἴσως καὶ Ἡράκλειτος βούλεται λέγειν. ἐπεὶ τοῖς γε ῥήμασιν οὐ καλῶς λέγει· τὸ γὰρ ἕν φησι διαφερόμενον αὐτὸ αὑτῷ ξυμφέρεσθαι ὥσπερ ἁρμονίαν τόξου τε καὶ λύρας. De quo loco vide, quae disputat doctissimus Schleiermacher. in *Museo Antiq. stud.* T. I. p. 411. Cicero Orat. III. 5. *Ac mihi quidem* veteres illi *maius quiddam animo complexi, multo plus etiam vidisse videntur, quam quantum nostrorum ingeniorum acies intueri potest, qui omnia haec, quae supra et subter,* unum esse et una vi atque una consensione naturae constricta esse *dixerunt. Nullum est enim genus rerum, quod aut avulsum a caeteris per se ipsum constare, aut quo caetera si careant, vim suam atque aeternitatem conservare possint.*

**) Qua de re vide ingeniosam Boettigeri, viri eruditissimi, disputationem, N. T. Merkur 1800. Part. 5. p. 56.

auctores et Grammatici satis confirmant. Etym. Ms. in v. Κατεκήλησε. κατεπραΰνε, κατέθελξε, ἢ κατεμάλαξε. καὶ κηληθμὸς λέγεται ἡ διὰ τῆς ἀκοῆς ἡδονὴ καὶ τέρψις — οἱ γὰρ παραγινόμενοι (Etym. edit. p. 510. οἱ γὰρ πραϋνόμενοι) διακεχυμένοι καὶ ἐφηπλωμένοι γίνονται. Hesychius: Κήλησις. ἡ δι' ᾠδῆς ἡδονή. Plutarchus de Sol. Anim. Vol. X. p. 10. ἡδονῆς δὲ τὸ μὲν δι' ὤτων ὄνομα κήλησίς ἐστι· τὸ δὲ δι' ὀμμάτων, γοητεία. Cicero Tusc. Quaest. IV. 9. Voluptatis *autem partes hoc modo describunt*. (Stoici) *ut malivolentia sit voluptas ex malo alterius sine emolumento suo:* delectatio, voluptas suavitate auditus animum deleniens: *et qualis est haec aurium, tales sunt oculorum et tactionum et odorationum et saporum; quae sunt omnes unius generis* ad perfundendum animum *tamquam* illiquefactae *voluptates*. Recte igitur scribit Valckenarius ad Euripidis Hippol. v. 303. „Mulcere aliquem fistula, carmine, verbis et oratione Κηλεῖν dicebatur et Θέλγειν· quorum prius usitatius non de Orpheo tantum, Arione, aliisque Poetis, sed et Oratoribus adhibetur, Pericle, Protagora, Callistrato, ceterisque, sic auditores permulcentibus, ut quo velint perducant." Probabilter etiam Taylorus hoc verbum restituit Aeschini contra Ctesiph. T. II. p. 455. Vol. III. p. 627. ed. Reisk. ubi vulgo legitur: πρότερον μὲν γὰρ τοιαύτας φύσεις ἤνεγκε τὸ δημόσιον, αἳ ῥᾳδίως οὕτω κατέλυσαν τὸν δῆμον. ἔχαιρε γὰρ κολακευόμενος· ἔπειτ' αὐτὸν, οὐχ οὓς ἐφοβεῖτο, ἀλλ' οἷς ἑαυτὸν ἐνεχείριζε, κατέλυσαν. Hic Taylorus probabiliter quidem corrigit, κατεκήλησαν τὸν δῆμον, perperam tamen addit: „Vox ista — licet a nullo Scriptore Graeco, ex iis, qui exstant, quantum scio, usurpetur, attamen proba sit necesse est." Proba haud dubie vox est et a multis scriptoribus ex iis, qui extant, usurpata, v. c. Sophocle Trach. 1003. Platone Crat. p. 70. ed. Heind. Longino Sect. XXX. p. 107. —

Docet igitur ipsa verbi proprietas, Celedonas non fuisse magicas Jyngas, sed, quod Pausanias scribit, ᾠδικὰ δαιμόνια, hoc est, cantrices, Homeri similes Sirenibus. Ad quarum similitudinem quum tantum accedat citharistria in Vasculo depicta, quantum inscriptio ad nomen a Pindaro formatum, manemus adhuc in sententia, hoc illuc pertinere argumentum, vocemque graecam figurae adscriptam ipsius esse figurae interpretationem. Quae sententia nostra si Tibi forte probabitur, Eruditissime Tychseni, valde laetabimur: sin minus, consolabimur nos rei obscuritate, cui tollendae non sufficiunt, quae veteres scriptores suppeditant, adiumenta. Sed nunc non illud agebatur, ut quaestio proposita ad liquidum perduceretur, sed ut extaret aliquod amoris erga Te nostri, laetitiaeque eius monumentum, qua se hodie affectos sentiunt collegae Tui, quum Te, senem prope octogenarium, quinquaginta ipsos annos de utraque litterarum Universitate, Butzoviensi et Rostochiensi, optime meritum, adhuc prospera valetudine integrisque corporis animique viribus frui videant. Quam raram felicitatem Tibi uno ore gratulamur omnes, iidemque Deum O. M. rogamus, ut Te multos porro per annos incolumem salvumque praestare velit ad huius Academiae splendorem, litterarumque inprimis Orientalium incrementum.



